

sub aliquo prædicamento videntur ut exhaurientes omnem imitabilitatem divinam; ergo non attinguntur ut contentæ sub aliquo imitabili determinato, et finito, sed sub omni genere imitabilitatis, quo imitari potest aliquid infinitum, quod est Deus, et sic comprehendunt Deum, hoc ipso quod exhauriunt omnem ejus imitabilitatem, et omnes ideas. Sic autem videretur aliquid quod solum postuleret finitam, et determinatam imitabilitatem, sub quo tamen continerentur infinita participantia illud genus; sicut si videretur genus animalis sub quo possunt esse infinita animalia, talis cognitio infinitorum, quia est contenta, et reducibilis ad aliquid finito modo imitabile, non infert comprehensionem Dei. Cæterum si videtur omne genus imitabilitatis ipsius Dei, non habet aliquid in quo contineatur, et ad quod reducatur, nisi ad ipsam divinam essentiam; exhauritur ergo per talem cognitionem omnis imitabilitas Dei, et omnis idea divina. Idea autem est essentia divina cum respectu ad imitabilitatem creaturæ; ergo idem est exhaurire omnes ideas divinas, et omnem essentiam divinam.

XXIII. Dices: Non sequitur, videt aliquis terminum adæquatum alicujus potentiæ; ergo comprehendit illam; instatur enim in visione Verbi, quod est terminus adæquatus generativæ potentiæ, et tamen qui videt illum non sequitur, quod comprehendat potentiam generativam Patris; ergo similiter licet videatur adæquatus terminus potentiæ creativæ non sequitur, quod comprehendatur ipsa.

XXIV. Respondetur, quod terminus adæquatus potentiæ generativæ videtur quidem a beatis, sed non comprehenditur, quia non totaliter videtur: si autem comprehendetur, etiam potentia generativa com-

prehenderetur. In casu autem præsentis non solum videtur adæquatus terminus potentiæ creativæ, sed etiam comprehenditur, quia totum genus creaturæ comprehenditur; unde adæquatur, exhauriturque potentia creaturæ.

XXV. Ex dictis autem colligitur, quod impossibile est dari omnium possibilium cognitio extra Verbum. Non dico quod in Verbo sit possibilis, sed quod si posset dari talis cognitio, non posset esse extra Verbum; non enim potest dari aliqua species quæ totum genus entis creati adæquet, esset enim infinitæ representationis, quia repræsentaret res infinitas, scilicet omnem creaturam possibilem; possibles autem sunt infinitæ creaturæ; unde tam infinita esset in genere repræsentativo, quam omnes creaturæ sunt infinitæ in esse reali. Et sicut repugnat dari infinitum in esse reali, etiamsi sit creatum, ita repugnat dari unicam speciem totam illam infinitatem creatam adæquantem. Si autem essent plures species ad cognoscenda omnia possible, vel illæ essent finitæ, vel infinitæ, et in numero indeterminato; si infinitæ sequitur idem inconueniens, quod detur infinitum in actu: finitæ esse non possunt, quia si darentur, verbi gratia, centum, aut decem species, aut quælibetillarum repræsentaret res finitas, vel infinitas, id est, species, seu quidditates finitas, aut infinitas: si finitas, cum finitum additum finitum non facit infinitum, sequeretur, quod omnes species, seu quidditates rerum repræsentatæ per illas species essent finitæ, et sic omnes species creabiles a Deo finitæ essent, nec Deus esset infinitis modis imitabilis: si infinitæ species per quamlibet repræsentarentur, sequitur idem inconueniens, ac si repræsentarentur omnia infinita per unam speciem: ergo dicendum est, quod per solam

essentiam divinam repræsentabiles sunt omnes creaturæ possibles, quia sola divina essentia continet imitabilitatem omnium creaturarum, et sic si videntur omnes creaturæ, necessario debet videri ipsa essentia divina.

XXVI. Nec obstat, quod aliquis potest per speciem unius generis repræsentativam, verbi gratia, animalis videre omnes species animalis: nam non potest videre infinitas species creabiles a Deo sub illo genere, sed solum creatas, et pertinentes ad ipsum universum; quæ autem continentur in potentia Dei, non potest unica species angelica comprehendere, sed solum cum relatione ad ea, quæ de facto pertinent ad universum. Nunquam autem in aliquo universo possunt dari infinitæ species in actu alicujus generis.

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVII. Ad primam instantiam dicitur, quod licet cognitio omnium creaturarum in Verbo solum dicat explicite, et formaliter infinitam extensionem, illative tamen, et virtualiter infert infinitam intensionem, quia non potest penetrari virtus infinita, et infinite participabilis sine infinita claritate, et intensione, quia hæc sola sufficit ad resolvendum omnem modum, quo virtus illa infinita participabilis est, si quidem tanto intensior, et clarior est cognitio, quanto magis occulta potest revelare; unde si nihil manet occultum in infinita virtute, infinite clara est talis cognitio.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur, quod licet cognoscantur omnia objecta scientiæ visionis, non tamen ipsa comprehenditur, quia non penetratur tota ejus virtus, licet tota denominatio, et modus vi-

sionis attingatur. Virtus enim illius scientiæ, cum sit eadem cum virtute scientiæ simplicis intelligentiæ, ad plura se extendit virtus illius scientiæ, nempe visionis, quam ipsa denominatio intuitionis, et visionis. Anima ergo Christi attingit omnia ad quæ se extendit denominatio visionis, et intuitionis; non tamen omnia ad quæ se extendit virtus illius scientiæ. Unde etiam intensio, et claritas, quas videt anima Christi non adæquat omnem cognoscibilitatem, et rationem scientiæ visionis etiam respectu illorum objectorum, quæ videt, nam in illis objectis existentibus multæ latent rationes secundum potentiam obedientialem, quæ possent a Deo fieri, quæ omnia non est necesse cognosci ab eo, qui videt tales creaturas existentes. Et ideo recte S. Thomas, ex eo quod claritas, et lumen animæ Christi est minus, quam lumen, quo Deus cognoscit illa objecta, recte intulit, quod non adæquatur scientia animæ Christi scientiæ visionis Dei. Non autem currit similis ratio, si viderentur omnia possible nullo excepto.

XXIX. Ad secundam instantiam respondetur, quod cognitio omnium possibilium in se ipsis dupliciter potest sumi. Uno modo, quod ly in se ipsis determinet rationem motivam cognoscendi, id est, quod res cognoscantur per species proprias, et sic hypothesis argumenti est impossibilis, quia (ut diximus) non est possibile, quod tota collectio creaturarum intelligatur per unam speciem creatam, neque per aliquas in numero finito, neque per infinitas, quia dables non sunt: alio modo potest sumi ly in se ipsis, terminative, id est, quod cognitio terminetur ad omnia possible abstrahendo, seu non explicando, quod fiat in Verbo, vel extra Verbum, sed tantummodo inquirendo, an ex hoc

quod cognitio aliqua terminetur ad omnia possibilium sequatur comprehensio Dei.

XXX. Et in hoc sensu dicimus, quod non stat cognitio omnium possibilium quocumque modo ad illa terminetur, quin sequatur comprehensio Dei, licet illam quasi a posteriori colligamus arguendo a terminatione cognitionis, quæ terminatur ad omnem creaturam ad principium talis cognitionis, quod debet esse penetrando virtutem creativam, ita quod nihil ejus lateat cognoscentem in ratione virtutis creativæ. Si autem ponatur, quod detur in re cognitio omnium possibilium, et tamen extra Verbum, involvitur implicatio in adjectis, quia hæc duo non sunt compossibilia, et ideo ex suppositione talis hypothesis non est mirum, quod non sequatur comprehensio Dei.

XXXI. Ad secundam probationem dicitur, quod si omnes colores cognoscuntur secundum omnem modum quem habent, sic necesse est, quod comprehendatur potentia visiva, quia comprehenditur omnis visibilitas; non tamen est necesse, quod videatur ipsa potentia visiva, ut existens, et producta, quia comprehensio creaturæ abstrahit ab actuali existentia, quæ non est de hujus essentia. Virtus autem creativa si comprehenditur debet attingi ejus existentia, quia hoc est essentia ejus. Si autem cognoscerentur omnes colores non attingendo omnem modum visibilitatis ut terminabiles sunt a potentia visiva, tunc non fit æqua comparatio cum cognitione omnium possibilium, quia cognitio omnium possibilium includit tam omnem creaturam, quam omnem modum creaturæ, quia hoc ipso ad creaturam pertinet, unde exhaurit omnem participabilitatem virtutis creativæ, quod est ipsam comprehendere.

XXXII. Instabis: Hoc ipsum convenire potest cuique beato cognoscenti quidditative creativam Dei potentiam; ergo amplius requiritur ad comprehensionem. Antecedens probatur, quia videns creativam potentiam debet videre specificativum ejus, quod est omne creabile, et non sufficit videre illud in communi, ergo in particulari. Minor probatur: Specificativum ejus est omne creabile ut cadit sub potentia executiva, sed non est exequibile in communi, et in confuso, sed in particulari; ergo si videt illud ut exequibile, videt illud in particulari, et non in communi.

XXXIII. Respondetur, quod potentia executiva respicit creabile ut exequendum in communi, ita quod ly in communi non est conditio tenens se ex parte objecti exequendi, sed ex parte tendentiæ ipsius potentiæ ad objectum. Sicut dicimus, quod potentia visiva specificatur a colore in communi, non quia possit terminari ad colorem habentem in se modum universalitatis, sed quia tendentia illius specificativa non est ad istum colorem tantum, vel ad illum, sed communiter ad omnem, et ideo dicitur tendere ad colorem in communi. Unde videns potentiam executivam Dei sufficit, quod in ipsa cognoscat tendentiam communiter se habentem ad omne creabile, licet non videat omne creabile in particulari.

XXXIV. Ad tertiam probationem respondetur. Ad consequentiam, quod cognoscibilitas omnium possibilium secundum se, et quasi formaliter non adæquat cognoscibilitatem increatam; virtualiter autem et quasi illative illam adæquat, quatenus stare non potest omnium creaturarum cognitio, nisi cognoscendo omnem participationem virtutis creativæ, quod per nullam speciem creatam cognosci potest, sed per

ipsam essentiam divinam, et sic requirit adæquationem cognoscibilitatis divinæ, quia non habet amplius, quod cognoscatur si in essentia divina videtur omnis ejus participatio.

XXXV. Et ad locum D. Thomæ respondetur ipsum non dicere absolute, quod: « Majus est videre Deum, quam omnes effectus possibles; » sed dicit quod: « Majus est intelligere divinam substantiam, quam quidquid aliud præter ipsam, quod in se ipso cognosci potest. » Ubi a contrario sensu, si tota collectio possibilium in se ipsa cognosci non potest præter Deum, talis cognitio non est minor, quam cognitio, imo et comprehensio essentiæ divinæ: quod etiam ibi satis insinuat D. Thomas.

XXXVI. Ad tertiam instantiam respondetur, quod si posset comprehendere virtus creativa Dei seorsum, et separatim a cognitione virtutis generativæ, illa prima solum non esset comprehensio, sed tamen illa comprehendere non potest, nisi concomitanter comprehendatur potentia generativa, eo quod virtus creativa est ipsa Dei essentia, et non potest omnis creatura attingi extra ipsam Dei essentiam, et consequenter neque extra partem generativam.

XXXVII. Sed adhuc objicies: Anima Christi comprehendit suam unionem hypostaticam, et ipsam naturam, seu quidditatem visionis beatificæ; ergo attingit omnia individua visionis, et omnia quæ potest mereri unio hypostatica; sed omnia individua visionis beatificæ sunt omnes visiones possibles; ergo respiciunt omnem modum, quo Deus potest cognosci, et creaturæ in ipso; ergo qui comprehendit omnes creaturas visibiles in Deo. Similiter unio hypostatica potest mereri aliquid pro omni creatura, cum habeat meritum infinitum; ergo qui compre-

hendit omnia, quæ potest mereri illa unio, comprehendit omnem creaturam.

XXXVIII. Respondetur Christum Dominum comprehendere suam unionem hypostaticam quantum ad id, quod in illa creatum est, et quantum ad omnes effectus sibi possibles, eo modo quo possibles sunt, et qui sunt quasi connaturaliter possibles. Sunt autem possibles infiniti effectus divisive, et syncategorematicæ, non collective, et in actu, quia infinitum in actu non est possibile. Unde non potest tangere omnes creaturas possibles collective, licet circa quamlibet divisive possit meritum suum extendere. Et similiter connaturales effectus, quos potest unio hypostatica sunt illi, qui divino decreto ei taxantur, quia in istis formis supernaturalibus, quæ sunt immediatæ participationes Dei, non datur alia connaturalitas in augmento, vel extensione, aut effectibus, quam quæ sibi a Deo definiuntur. Unde ad comprehensionem unionis sufficit cognoscere omnes illos effectus, qui sibi quasi connaturaliter debentur ex decreto Dei; non omnia, quæ de absoluta potentia potest mereri, quia ad comprehensionem cujuscumque formæ sufficit cognoscere ea, quæ secundum connaturalem statum illi conveniunt, non quæ de potentia absoluta.

XXXIX. Similiter dico de visione beatifica, licet enim aliqui dicant non comprehendere ab anima Christi visionem beatificam, tamen etiam si ejus quidditatem, et speciem comprehendat, non est necesse comprehendere omnia individua, præsertim quæ de potentia absoluta dari possunt, sed solum, quæ connaturaliter sub illa continentur ex decreto Dei. Nam etiam Angelus comprehendit solem, et intellectum suum, vel inferioris Angeli, et ta-

men non potest cognoscere omnia individua, quæ sol potest efficere, vel intellectus de potentia absoluta; sed sufficit cognoscere illos effectus, quos potest efficere sol connaturaliter prout pertinent ad hoc universum; neque est necesse, quod omnia individua unico actu attingantur.

XL. Ad ultimam instantiam (quæ aliquibus difficilis visa est) variæ assignantur solutiones. Quidam dicunt, quod illa propositio est falsa, videlicet, quod qualibet creatura possibili deficiente non deficeret hæc omnipotentia, sicut quamvis aliquod visibile particulare redderetur invisibile, non ideo deficeret potentia visiva, et idem est de intellectiva, et similibus. Et ratio est, quia potentia solum specificatur a ratione formali visibilis in communi, quæ non variatur per variationem hujus, vel alterius materialis, unde stante ratione formali non deficit potentia, quæ illam essentialiter respicit, quamvis deficiat aliquod materiale. Hanc doctrinam applicant ad propositum, et respondent, quod quamvis deficeret hæc creatura particularis possibilis, non deficeret ratio communis possibilitatis, quæ est ratio formalis termini omnipotentiae, et per consequens nec deficeret hæc omnipotentia.

XLI. Hæc solutio non potest admitti; nititur enim falso fundamento, quia ut diximus prima parte in materia de visione, disp. xv, art. iii ad primum, et de Trinitate, disp. xv, art. ii, specialiter ad tertiam probationem, si redderetur aliqua creatura particularis, quæ modo est possibilis impossibilis, non esset eadem omnipotentia, quæ modo est, neque eadem divina essentia, quæ nunc est, quia non esset participabilis eodem modo, quo nunc est, et hoc non quia divina essentia dependeat a possibilitate creaturarum,

sed quia illas in se continet, ita quod sit ab illis participabilis; et si aliqua singularis creatura redderetur impossibilis, illa non contineretur in potentia Dei, nec ab illa divina essentia esset participabilis, quia illa solum est participabilis ab illis, quæ potest producere, et solum potest possibilis, et ideo ex transitu creaturæ de statu possibili ad impossibilem, arguitur transitus potentiae divinæ de potenti illam producere ad non potentem, et de continente illam ad non continentem, et de repræsentante illam per ideam ad non repræsentantem, quia creatura possibilitatem positivam non habet nisi a potente illam producere, licet negativam, hoc est, non repugnantiam habet per non implicationem suorum prædicatorum; et eo ipso, quod ponitur impossibilis utraque possibilitas deficit, quia una ex alia infertur.

XLII. Exemplum de potentia visiva non habet paritatem, quia potentia visiva non facit objectum esse visibile, sed supponit ejus visibilitatem, quam habet ante potentiam, et ideo sicut objectum ex se est visibile antequam fiat potentia, manet visibile quamvis potentia destruat; unde solum potentia respicit illud ut specificativum secundum rationem communem, qua solum deficiente deficiet potentia, et non deficiente hoc, vel illo materiali, quia materialia non continentur in potentia visiva, nec ab illa habent esse visibilia, nec ex defectu illorum arguitur variatio potentiae, sicut dictum est de omnipotentia respectu possibilium.

XLIII. Alii respondent ad cognitionem quidditativam omnipotentiae, non requiri necessario cognoscere singulares creaturas posibles, sed solum communem possibilitatem, quia terminus formalis est solum, qui pertinet ad quidditatem poten-

tiae, non materialis, et creatura particularis non est terminus formalis, sed solum ratio communis possibilitatis, et sic sufficit ad quidditativam cognitionem divinæ omnipotentiae attingere rationem communem possibilitatis, et non est necesse attingere particulares.

XLIV. Hæc solutio licet contineat ex parte doctrinam veram, scilicet quod ad quidditativam cognitionem Dei non requiritur attingere aliquam creaturam particularem, sed solum possibilitatem entis creati in communi, quam nos in materia de visione late explicuimus (vide disputationem xv, art. iv) nihilominus tamen ad intentum est insufficientis, relinquit enim insolutum argumentum; tum, quia licet terminus formalis potentiae sit possibilitas in communi, et creatura particularis sit terminus materialis, tamen potentia Dei non solum cum termino formali, sed etiam cum materiali ita connectitur, ut qualibet creatura particulari deficiente, verbi gratia, hæc formica secundum conditiones individuantes a possibilitate, non esset hæc omnipotentia, ut contra præcedentem solutionem dictum est, in quo nititur præsens argumentum, et ad hoc debet applicari solutio, et reddi ratio quare non debeat necessario cognosci creatura particularis per cognitionem quidditativam, quamvis cum illa connectatur potentia indissolubiliter, propter quam connexionem intendit argumentum, quod debeat cognosci, licet sit terminus materialis.

XLV. Tum, quia non est ita materialis terminus hujus individui omnipotentiae creatura particularis, quod non conducat ad distinctionem ejus respectu alterius potentiae, quæ resultaret, si hæc particularis creatura redderetur impossibilis, quia supponimus, quod potentia, quæ de facto est, et illa alia, quæ in tali

hypothesi vere, et realiter resultaret, convenirent in vera, et reali ratione potentis producere omnes creaturas, quantum ad genera, et species, et individua præter hoc unum individuum assignatum hujus formicæ, et eandem speciem in aliis individuis: ergo ex nullo alio capite potest oriri distinctio, nisi ex mutatione hujus creaturæ particularis: ergo ad istam distinctionem non materialiter concurrat, sed formaliter, et argumentum intendit, quod qui hanc individualem omnipotentiam quidditative cognoscit, debet cognoscere illam particularem creaturam, sine qua desinit esse hæc omnipotentia, et per quam ab alia distinguitur.

XLVI. Tum, quia illa alia omnipotentia, quæ in tali hypothese supponitur vere et realiter resultare, quidditative et realiter distingueretur ab ista, quæ nunc est, quia esset alia natura divina, et etiam alius Deus: ergo mutaretur ratio formalis potentiae, quia diversa potentia essentialiter diversam rationem formalem debet habere; ergo sicut ex defectu rationis possibilitatis in communi, quæ est terminus formalis, argueretur immediate variatio potentiae, ita ex defectu hujus creaturæ particularis, quæ est terminus materialis, arguitur saltem mediate variatio rationis formalis, quia arguitur variatio hujus omnipotentiae, quia ex variatione individui arguitur variatio rationis quasi specificæ; sicut etiam contingit in Angelis in doctrina D. Thomæ. Debet ergo assignari ratio quare creatura particularis non debeat necessario attingi per cognitionem quidditativam potentiae, cum qua ita essentialiter connectitur, quamvis sit terminus materialis ejus; quod in hac solutione deficit.

XLVII. Alii dicunt, quod ad cognitionem quidditativam alicujus individui non est necesse cognoscere